

Praenotamina methodologica.

Regula 1a.

Omnis scientia in duas dipescitur partes. Alia enim est pars positiva seu descriptiva, in qua determinatur quemadmodum res se habeant relate ad nos. Alia vero est pars speculativa seu systematica, in qua determinatur quemadmodum res se habeant inter se.

Quare sicut in aliis scientiis, ita in theologia semper primo quaerendum est quid Deus revelaverit, deinde vero quemadmodum res revelatae inter se cohaereant. Ex quo factum est ut distinguatur theologia positiva a theologia speculativa, vel systematica, vel scholastica.

Regula 2a.

Fontes theologiae positivae sunt duplicis generis, alii originarii, et alii declaratorii.

Fontes originarii sunt verbum Dei scriptum et traditum. Verbum Dei scriptum in libris VT et NT invenitur. Verbum Dei traditum deprehenditur in effatis PP prout sunt testes traditionis, in/praxi ecclesiae antiquae, in liturgiis antiquis, aliisque eiusmodi.

Fontes declaratorii sunt vel principales vel secundarii.

Principales sunt magisterium ecclesiae ordinarium et solemne: illud in universali ecclesiae praedicatione, hoc in definitionibus RR. PP. et conciliorum oecumenicorum invenitur.

Secundarii sunt alii ex quibus magisterium ecclesiae innotescit: ita consensus PP. (praesertim in interpretanda S. Src., DB 1788); consensus theologorum; concilia provincialia; commissiones romanae.

Regula 2a.

~~Iam vero ecclesia non solum revelata ut revelata declarat et erudenda fidelibus proponit sed etiam omnia cum revelatis connexa determinat. Exercet enim magisterium vivum, pascit oves et agnos, scdm illud, Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. LC 10, 16. DB 1820. AAS 42 1950 5568~~

~~Quare fontes declaratorii secundarii agnoscendi sunt fontes connexi~~

Regula 3a.

Praeter fontes originarios et declaratorios, agnoscendi sunt fontes connexi.

Nexus originarius est scdm illud, Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Iam vero revelatio divina in mente humana recipitur et ad vitam humanam dirigendam applicatur. Ex quo sequitur duplex adaptatio viva, tum ipsius intellectus credentis in quo veritates revelatae et veritates naturaliter notae coniunguntur, tum ipsius vitae credentium in qua regere oportet dictamina rationis fide illustratae.

Cui necessitati subvenit Dominus qui ecclesiam instituit non ad sola revelata authentice declaranda sed etiam ad oves agnosque pascendos. Quare dixit, Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Lc 10 16. AAS 42 1950 568

Quare in conc. Vaticano, DB 1820, monemur fugere errores qui haeresi ~~in~~ plus minus ~~ad~~ accedant, et obedire- et servare constitutiones et decreta sanctae sedis.

Similiter Pius X docuit, DB 2113, fideles sub gravi obligari per decreta commissionum romanarum a RP approbata.

primo,
deinde in
sententiisque ecclesiasticis/inveniuntur et per connectionem cum revelatis
IT approbato- ipsa revelata indirecte declarant.
rum/

Regula 4a.

Postquam de ipsis revelatis e fontibus originariis, declaratoriis, et connexis determinatum fuerit, oritur quaestio de intelligibili determinationis ordinatione.

At sapientis est ordinare, et plus valet sententia unius vere sapientis quam discordia sescentorum minus sapientium.

Hac de causa nobis proponit sancta mater ecclesia principia, doctrinam, et methodum S. Thomae Aquinatis, ita tamen ut etiam laudet eorum labores qui novorum temporum nova problemata pie sobrie et sedulo tractent.

quo in labore duo maxime sunt attendenda.

Primo, ut id ipsum quod revelatum est intelligatur. Non enim agitur de novis veritatibus inveniendis sed de iam revelatis clarius ordinandis crescente intelligentia scientia et sapientia ecclesiae. DB 1800.

Deinde, ut perfectam rei revelatae intelligentiam nobis hac in vita impossibilem agnoscamus. Attingi potest aliqua intelligentia, cumque sit fructuosissima, minime est spernenda. At perfecta multorum per unum visio dabitur sola in patria. DB 1796.

Regula 5a.

Saeculorum decursu existit dogmatum evolutio, quae enim theologica speculatione intelliguntur, ab ~~illis~~ ecclesia docente in revelatis declarandis adhibentur. Ita in re trinitaria "hypostasis" "substantia" "persona" "homousion" "relatio" "processio".

Quibus ab ecclesia declaratis, novum fundamentum ulterioris speculationis exstat. Cuius fructus iterum in ulterioribus ecclesiae declarationibus adhiberi possunt, ut ulterior speculatio iterum ulteriorem declarationem fundet.

Quare fallacia est vel sola antiquiora documenta considerare vel recentiores magisterii determinationes parvi facere. AAS 42 1950 568.

Regula 6a.

"... nobilissimum theologiae munus illud esse, quod ostendat quomodo ab Ecclesia definita doctrina contineatur in fontibus... eo ipso sensu quo ab Ecclesia definita est" AAS 42 1950 569.

Quae ostensio ~~psa~~ postulat theologiam integram quae neque positivam ita excolat ut speculativam neglegat neque speculativam ita laudet ut positivam ignoret. Sine enim positiva, speculativa evadit sterilis; et sine speculativa, positiva desinit theologia esse et ab inquisitione historica non discernitur; omittit enim omnia quae ex evolutione dogmatum ad profundiorum et accuratiorum rei intelligentiam pertineant.